
ARTIVM AVRELI CORNELI CELSI LIBER
QVAE RATIO MEDICINE POTISSIMA SIT
ET QVEMADMODVM SANOS AGERE CŌ
VENIAT LIBER PRIMVS INCIPIT FELICR.

VT ALIMENTA SANIS CORPORIBVS AGRICVLTVRA SIC SANITATEM EGRIS medicina promittit. Hec nusq̄ quidem nō est: si quidem etiam imperitissime gentes herbas aliaq̄ prompta in auxilium uulnerum morborūq̄ nouerunt. Verum tamen apud grecos aliquanto magis q̄ in ceteris nationibus exculta est: ac ne apud hos qdem a prima origine: sed paucis ante nos seculis ut pote cum uetustissimis auctoribus esculapius celebretur. Qui quoniam ad hodiernam et uulgarem hanc scientiam paulo subtilius excessisset in deorum numerū receptus est. Huius deinde duo filij podalirius et machaon bello troiano ducem Agamenonem sequuti non mediocrem opem commilitonibus suis adtulerunt. Quos tamē homerus non in pestilentia neq̄ in uarijs generibus morborum aliquid adtulisse auxilij sed uulneribus tantūmodo ferro et medicamentis mederi solitos esse proposuit. Ex hoc apparet has artes medicine solas ab his esse probatas, easq̄ esse uetustissimas. eodemq̄ auctore disci potest: morbos tum ad iram deorū immortalium rela

MORELLI G.F.L.

Das erſte Blatt einer Pergamenthandſchrift der Corvina (König Matthias-Bibliothek).